



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XXII. Naturalem mortis horrorem non debere cuiquam impedimento esse, nè illiam desideret, deque adventu illius gaudeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

tio quærentium Dominum, quærentium faciem DEI Jacob. Hi sunt homines DEO pleni: homines, quorum vivere DEUS est: homines, quorum corda, sensusque, & affectus omnes nihil præter DEUM spirant. Sed, quoniam in nonnullorum animis formidines, & rationes haud desunt, quæ sancto huic desiderio adversantur, illudque, nisi indè amoveantur, vel frigefacere, vel extinguere etiam penitus possent; eas singillatim examinare, & refellere, in tribus proximis capitibus pergam,

CAPUT XXII.

Naturalem mortis horrorem non debere cuiquam impedimento esse, nè illam desideret, deque adventu illius gaudeat.



Rditi ab iis libet, quibus novum auditu, omnique rationi dissentaneum, & incredibile prorsus videtur, mortem posse esse desiderii potius, quàm averſationis objectum. Quæ enim id pacto, inquit, cum, sive observentur apparatus necessariò ipsi præviis, nempe virum debilitas, sensuum hebetatio, corpori

dolores, animi defectiones, & reliqua summi morbi accidentia; sive attendatur id, quod ipsa secundum se est, corporis nimirum, animæque, partium tam intimo tum naturæ, tum amoris nexu inter se copulatarum violenta disjunctio; sive consequentes eam effectus spectentur, deformitas scilicet, atque abjectio cadaveris, nec non tenebræ, squalor, fetus, & fœtor sepulchri; nihil usquam animus considerantis reperiatur non tetrum, non ferale, non horridum, & quod citra mœstitiam, fastidiumque aspici queat. Adde, quòd, cum eadem supplicium peccati sit, nulla ratione existimari appetibilis potest. Alioquin unde nam à præmio differret? Aut quomodo non approbationem potius, quàm pœnitentiam culpæ in reis excitaret? Denique, ut nulla alia secùs judicandi argumenta suppeterent, sufficeret tamen universalis omnium hominũ sensus, nunquam de morte, nisi velut de re admodum terribili, & funesta loquentium. Quem sensum, dubitari non potest, quin ipsi à natura inspiratum, insitumque habeant: nec proinde falli in eo possint, plùs quàm in ullo ex primis principiis: totam suam falsitatis nesciam firmitudinem non aliunde habentibus, quàm quòd ea universum genus humanum

citra ullam ambiguitatem, aut exceptionem ex instinctu, magisterioque naturæ affirmet.

2. Ità sanè illi differunt. Quibus priusquam respondeam, de nonnullis ad majorem responsi claritatem facientibus admonendos puto. Sciant igitur primò, me hìc cum hominibus loqui, Fide, Spe, & Charitate Theologica instructis. Fide primum, ità ut pro certissimo habeant, paratam justis esse ab obitu vitam, nullo temporis fine claudendam, tótque circumfluentem bonis, ut comparata illi nostra hæc præsens *mors sit potius dicenda, quàm vita.* Spe itèm, qua confidant, illam se immortalẽ, & beatissimam vitam à cælesti suo Patre obtenturos, utpote ab eo, qui illius gratiã nos condidit, & assiduis ad eam vocibus omnes invitat, & cuilibet extra gravis culpæ reatum morienti, indubitatissimè eam pollicetur, & supremam hanc illius assequendæ conditionem cuius non negligentissimo facilem fecit. Charitate demum, ità ut considerantes, quàm eximium, omnibusque aliis præstantius, imò & infinitum bonum sit DEUS, super omnia illum ament, nihilque ardentius desiderent, quàm præsentem intueri, & cum eo semper vivere. Præterea animadvertendum iis est, mortem considerari posse
vel

vel secundum ea, quæ suapte ipsi naturâ conveniunt, cujusmodi sunt morbus præcedens, separatio animæ à corpore, & hujus ab ea destituti corruptio; vel tandem ea, quæ fides docet, post illam sequi, nec nisi illâ prius obtinâ posse obtineri, cujusmodi est sempiterna beatitudo justorum. Quæ duæ considerationes plurimum inter se differunt, suumque per discrimen efficiunt, ut ipsa quoque diversi aspectus in una, & diversi in altera appareat: nempe ibi deformis, hîc pulchra: ibi amara, hîc suavis: ibi odiosa, hîc amabilis. Tertiò admonitos velim, non hîc disceptari, satiùsne, & optandum magis sit, migrare è terris ad superos totum hominem sinè prævia dissolutione animæ à corpore, prout moris fuisset in statu originalis justitiæ; an solam illuc emigrare hominis animam mortis vi divulsam à corpore, neque cùm hoc rursus ante extremum universalis judicii diem conjungendam, ut in præsentis nostro statu accidit: cùm nemo revocare in dubiû possit, quin prima migrandi ratio præferenda alteri sit, juxta illud D. Pauli effatum, (2. ad Cor. 5.) *Nolumus exsponari, sed supervestiri*: sed unum hoc inter nos queri, & venire in controversiam posse, utrum scilicet sancita jam irrevocabili, & com-

inuni omnibus Adami posteris lege, ut mori aliquando debeant, nec pertingere aliter ad æternam beatitudinem possint, hæc in præsentis nostri statu uni a ad felicem illum terminum via, quæ procul dubio minùs suavis priori modò dicta est; omnibus rite expensis, timeri à nobis, & iniquo vultu aspici, an è contrario amari, atque expeti debeat?

3. His ergo præmissis, quorsum mihi odiosas mortis qualitates exaggerant: diros nempe cruciatus, & agones, per quos illa sibi aditum struit, immanem vim, qua animam è corpore exturbat, fœda putredinis vestigia, quæ post suum adventum relinquit, & feralem titulum pœnæ, cujus tantùm causâ reis hominibus à DEO est præscripta? Nihil horum melatet, nihil inficiatus unquam sum: omnia ultro fateor, & pro veris admitto. Sed quid indè consequitur? dignam eam esse, quæ omnibus terrori, odioque sit, tanquam capitalissima hostis, & malorum extremum? Sit ita, si nihil in ea præter modò dictas qualitates spectetur. Cæterùm, ubi aliquis mortem intuetur, prout via, & quidem unica est ad visionem DEI, ad gloriam cælestem, ad beatitudinem sempiternam; asseveranter pronuntio, nequaquam hunc posse citra insignem fidei,
vel

vel spei, aut charitatis defectum eam odisse, & timere: imò non posse ejus adventum non sitienter desiderare, non hilariter opperiri, non gratulanter excipere. Usque adeò coram illo supernaturali, æterno, immensissimòque bono, ad quod non nisi per eam devenitur, natus ejus horror ex oculis deficit. Socrates certè, quanquam divinæ fidei expers, neque majoris sub mortem felicitatis gnarus, quàm quæ naturali lumine agnosci possit, præ aviditate tamen illius boni à nobis credito, & expectato testabatur, non unam tantummodo, sed & plures prompto, & perlibenti animo subiturum se mortes. *Equidem, si hæc vera sunt, sæpius mori vellem.* (Plat. in Apol. Socr.)

4. Utque id cognitu planius fiat, fingamus quo tempore Cicero in Græcia exulabat à dilecta Roma fortunæ suæ patria, & decorum suorum theatro proscriptus, viam reversuro capeffendam, sive aquarum eluvione, sive alio quo casu longè impeditiorem factam esse, quàm olim fuerit, nec non insuper in singulis oppidis, atque portibus nova, & ingentia constituta viatoribus vectigalia fuisse: quæro, num, quando revocatus in urbem est, abnuisset eò mox regredi, prædictis viarum difficultatibus,

& expensis deterritus? Quisnam id, non dicam credere, sed vel suspicari queat? At saltem illibenter suscepisset reditum, illum procrastinans, neque ullam certam illius expediendi horam reperiens. Multò adhuc minùs: nempe ità & exilii sibi tædia produxisset, nec onera itineris, cum id tandem aggrediretur, leviora fecisset. Quid ergo? Molestè ille quidem prædictas incommoditates tulisset: sed earum odio prævaluisset Romæ amor, prævaluissetque adeò, ut nihil interpositurus moræ fuerit, quin quaecunque illud iter cupidissimè arriperet. Atque hæc nostra conditio est: nisi quòd beatitudo cælestis, ad quam nos è præsentis vitæ exilio vocamur, longè plus præponderat universis terroribus mortis, per quos eò nobis est transeundum; quàm sperata à Cicerone Romæ gloria, & felicitas molestiis, atque impendiis in reditu subeundis præponderasset.

5. Quamobrem possumus quidem aliquantò ægrius ferre, quòd ad vitæ æternæ gaudia perventuris necesse sit mortem oppetere, quod vectigal in primævæ statu innocentiae solvendum non fuisset. At nullo pacto possumus, ex conditionis hujus odio detrectare, aut parùm libenter capessere, & dilatatum vel-

le

le iter, quod ad beatissimum illum terminum ducit; nisi fortè, ut suprà indicavi, minori in pretio visionem DEI habemus, quàm ipsimet dæmones: qui adeò parvi ducerent, ordinariæ hujus, ac brevissimæ mortis nostræ impendio eam licitari, ut eorum quidam, teste Cæsario, (L. 5. c. 10.) rogatus quidnam cruciatuum paratus esset pro æterna beatitudine acquirenda perferre? Fac, responderit, columnam ferream candentem, acutissimisque novaculis, & cuspidibus circumquaque præfixam è terris usque ad cælum protensam, per eam, etsi amictus mortali corpore essem, non abnuerem, ad extremum usque diem mundi sursum reptare; dummodo tam proluxa, & immani carnificina cælestem mihi gloriam mererer. Alter autem Jordano Generali Prædicatorum Magistro affirmaverit, pro intuenti non diutiùs, quàm ad nictum oculi infinita Conditoris sui pulchritudine electurum se pati toto, quàm longum est, mundi ævo, quidquid tormentorum rei omnes spiritus avernali in ergastulo ferunt. Durum est, non infior, cum proximæ mortis angoribus plures horas, & aliquando etiam dies colluctari. At ô quantò suavius ineffabilibus cælestis vitæ gaudiis æternùm potiri? Contristat disjunctio
ani-

animi à corpore , sed quantò exhilarare plus debet intima , & nunquam dissolvenda ejusdem conjunctio cum DEO ? Horrorem incutiunt squalor , graveolentia , & tabes cadaveris . At quantò majorem oblectandi vim habent præclarissimæ dotes , quibus illud idem suo tempore immortalem ad vitam renatum decorabitur ? Sanè admirari fat nequeo , ubi Christianum hominem video accepto imminentis obitûs nuntio expallescere , perturbari , dolentis speciem vultu , & verbis præferre . Itane verò cælestis tuus Pater ad sui regni , suæ gloriæ , suæ beatitudinis , suæ divinitatis confortium , te invitat . Immensam tibi exhibet opulentiam bonorum , *quæ oculus non vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis ascenderunt* . Arbitrii , & potestatis tuæ est , perpetuam eorum possessionem inire , unòque temporis puncto assequi , quidquid optare inexplebilis humanorum cordium aviditas potest . Tu verò , quòd præ tantæ felicitatis foribus spectrum falce armatum videas , retrò absistis , tergiversaris , nec audes promotò fortiter gradu per quascunque ejus minas in beatissimam illam sedem irrumpere ? Ah ignave ! ah vecors ! ah fidei , speique expers ! Et quid demum tanti horroris in isto tuo tibi occurrit non ultra mo-

momentum temporis perdurante obitu, ut possit, non dicam, prævalere omnibus immortalis, & beatissimæ vitæ illicitis; sed præ ipsa vel adverti, teque plus afficere, quàm si esset, quod in hac comparatione revera est imaginaria mali umbra, & inane puerorum terri- culamentum? Intende, intende paulisper rationis, fideique oculos ad perspiciendum, quàm immensum bonum sit DEUS, quàm- que incomparabilis fors illo frui. Ubi enim alta mente id conceperis, nihil jam supererit, quod retinere te valeat, quin præ admiratio- ne, & desiderio tantæ felicitatis per formido- losissimas quasque ultimorum malorum, & discriminum species recto cursu ad eam ten- das: Eliæ instar, qui *superni itineris desiderio accensus hilaris, gaudensque flammantes currus ascendit.* (S. Bas. Hom. 13. Exhort. ad Bapt.)

6. Aliud itaque est, si dicas, mortem se- cundùm se tantummodo consideratam deside- rabile objectum non esse; aliud verò, si esse- talem neges, etiam prout via est ad ultimum, & beatissimum hominis finem. Nam & me- dicamentorum plurima, si secundùm se, & suum saporem spectentur, odio sunt: quæ ta- men, quatenus sanitati utilia, amari, & quæ- ri videmus. Quemadmodum igitur gratius cui-

cuique esset, amplissimum prædium, vel regalis magnificentiæ palatium dono accipere, quàm mille aureis emere; nihilominus, si hoc pretio sibi offeratur, libentissimè tantillum pecuniæ pro illo impendit, maximùmque ibi lucrum se fecisse arbitratur; sic, quamvis optabilior conditio esset, ad cælestem gloriam finè prævia moriendi necessitate evehi; nihilominus, cum non nisi hoc pretio obtinere illam liceat, quisquis vel semunciam rationis, bonæque mentis retinet, summa cum alacritate id genus nundinationis amplecti debet, sibi que de eo gratulari, & multò quæstuosius censere, quàm si quadrantem pro Augusti Cæsaris imperio solvisset: juxta D. Pauli exemplum, qui, quòd nullam præter Christum vitam agnosceret, non emptionis, & sumptûs, sed lucri locò mortem habebat, (*Ad Philipp. 1.*) *Mihi, inquiens, vivere Christus est, & mori lucrum.* Sed enim verò fide opus est, vividaque illorum verborum intelligentia, quæ idem Apostolus Thessalonicensibus scripsit, (*Ep. 1. c. 4.*) *Ut non contristarentur de dormientibus, sicut & cæteri, qui spem non habent: nempe, quòd soluti à corpore, rapiemur obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* O consolationem mirificam! ô verba, quæ vel

toxico aspergere nectaris dulcedinem queant!
semper cum Domino esse: quamdiu permanebit
æternitas, vivere, & regnare cum DEO, si-
miles ipsi ipso fruente, unum quidpiam cum
ipso. Ità, ità profectò, ô mortales! bono,
erecto, hilari animo estote. En quò perven-
turi moriendo sitis: *Semper, semper, semper cum*
Domino eritis. Itaque consolamini invicem in ver-
bis istis.

7. Neque verò excusatum hìc quispiam
se putet, quòd mortem non omnino quidem
refugiat, sed dilatam solummodo aliquanti-
isper velit. Velle siquidem eam tardiùs obire,
magis secundùm aliquam considerationem à
ratione alienum, & secum pugnans videtur;
quàm eà nunquam velle defungi. Magis, in-
quam, à ratione alienum: cum per hujusmo-
di dilationem diutiùs careamus amplissimis
futuræ vitæ bonis, nec idcirco vel declinemus,
vel minuamus mortis molestias, quæ, si gra-
ves sunt hodie, nihilo utique leviores cras e-
runt. Magis verò secum pugnans: quia, qui
ità affectus animo est, in ferendo de morte ju-
dicio sibimet contradicit: simul nempe illam
existimans majus malum, quàm bonum; alio-
quin non eam hodie refugeret; simulque ma-
jus bonum, quàm malum; alioquin cras non
ad-

admitteret. Paucis : mors secundum nativas suas qualitates non alia hodie , alia verò cras , aut perendie , sed unius , & ejusdem modi quovis tempore est. Vel ergo absolutè , & omnibus pensitatis appetendam existimat , & quare nunc averfatur ? vel contrà fugiendam , & quare paratus est in futurum libenter admittere ? Respondet fortasse , minùs tristem in senecta mortem accidere , quando non nisi paucos , eòsque fatifcentes , & parùm vitales annos subducit ; quàm in juventute , cùm ipsum vitæ florem præcidit : nec propterea diffidentis à se ipso notam mereri , qui in altera harum ætatum eam deprecatur , in altera æquo animo recipit. Præterquam quòd , cùm via quidem ad maximam felicitatem mors sit , sed via admodum dura , & incessu aspera ; nullam esse affectuum discordiam , si respectu felicitatis per eam consequendæ ametur ; & nihilominus nativæ asperitatis suæ causâ illius compendinationes quærantur. Cùm hunc passim esse hominum morem videamus , circa res cæteroqui necessarias , sed suapte naturâ odiosas , & molestas : quæ & necessaria certo voluntatis decreto eligi , & ut ingenio suo tristissimè differri solent : uti exemplo esse potest magni æris alieni solutio , aut membri putre-

trescentis amputatio. Frustrà id omnino reponet; neutra quippe rationum prædictarum ad defensionem illius facit. Non prima: nam qui juventutis respectu, non nisi eâ peractâ mori vellet, palàm ostendit, ad hujusmodi voluntatem non se impelli à mortis timore, de quo solo hìc disputamus, sed à nimio præsentis vitæ amore: satius nempe existimans, vicenos, tricenósve floridioris ævi sui annos interris, quàm in cælo traducere. Quod quàm abnormis vecordiæ sit, capite superiori sat vidimus. Sed neque altera ipsi ratio suffragatur: eatenus siquidem absolutè volita rerum necessariarum executio non imprudenter, & citra voluntatis inconstantiam differri potest; quatenus vel ejus dilatio nihil detrimenti affert, ut cum quis cunctatur, quantum potest, onerosæ promissionis fidem exolvere; vel spes aliqua affulget, posse finem quæsitum suavi-ori alia ratione obtineri: ut, cum æger præscriptam à chirurgo ulceris sectionem prorogare indies pergit, expectans videlicet, num fortè ulcus absque illo sæviori remedio, vel per se ipsum, vel per invocatam cælestis alicujus Patroni opem sanetur. Nam alioqui, si certissimè constet, rem adeò necessariam esse, ut ad eâ seu sponte, seu coactè deveniendū ali-

R r

quan-

quando fit; neque rursus eam procrastinare finè gravi incommodo liceat, nemo sanè est, quin perspiciat, inconsultè actum ab eo iri, qui dilatam in posterum vellet: præsertim verò, si molestia, quam affert, instar nihili præ fructu ex ea proventuro esset: veluti accideret, si quispiam inter continuos podagræ, aut calculi cruciatus vitam morti similem ducens, poto absynthii quincunce liberare se protinus à doloribus suis posset: qui profectò tantum abesset à salubris illius amaritiei haustu in crastinum transferendo, ut nihil ei longius vel minima tam præsentis remedii dilatione videretur. Atqui hæ omnes circumstantiæ in re nostra mirè conveniunt. Nam & mortis amaritudo seriùs, ocyùs ab unoquoque hominum est exorbenda, & illius dilatio nihil nobis aliud præstat, nisi ut toto illo tempore futuræ vitæ gaudiis careamus; & eorum jucunditas, quidquid in moriendo ingrati, odiosique est, multò longiùs excedit, quàm liberatio à calculi, vel podagræ cruciatibus, quidquid in absynthii sorbitiuncula austeri est, jucunditate sua excederet. Quamobrem colligi ex dictis jure optimo potest, eum, qui præ ultimi excessûs formidine, nunquam mori optet; sædè procul dubio hallucinari, dum pro

pro graviore malo brevissimi illius transitus
 difficultatem, quàm æternam ultimi finis sui
 privationem habet: sed hinc tamen consistere,
 neque per novam delirationem eò progredi,
 ut in falso hoc iudicio sibimet contradicat: at,
 eum, qui ex eadem formidine mori quàm tar-
 dissimè cupiat; hunc & similiter hallucinari,
 utpote qui tristius esse arbitratur, aliquantò
 citius mortem oppetere, quàm toto dilatio-
 nis illius tempore ab ultimo fine suo abesse, &
 huic insuper hallucinationi stultitiam dissensi-
 onis à se ipso adjungere: existimando videli-
 cet, prout suprà observavimus, appeti dignū,
 quod eodem tempore fugiendum, & recusandū
 existimat. Nisi quòd, cùm impossibile
 sit, ut quisquam, quæ contraria invicem sunt,
 eodem tempore affirmet, aut velit; hujusmo-
 di iudiciorum, & affectuum discordia nun-
 quam revera in ullius hominis animo existit:
 sed, qui naturali, & nunquam non eadem
 mortis tetricitate perterritus eam nunc nollet
 oppetere; fieri neutiquam potest, ut cum il-
 lius hodiernæ metu, atque horrore præpara-
 tionem simul animi ad eam cras, vel perendie,
 vel quovis alio tempore libenter excipiendam
 conjungat. Et, si fortè id de se affirmat, vel
 mentitur, vel quid affirmet, minimè intelli-
 git.

git. Quemadmodum enim non alia hodie, quàm alio quovis tempore mortis natura est; sic non aliud est pro præfenti, quàm pro alio quovis tempore eam odiffe, & refugere.

8. Quamvis verò hætenus dicta fatiſ demonſtrent, quod initio propoſui, mortem videlicet, eſto naturaliter maximè horrida, & *ultimum terribilium ſit*, deſiderandam potiùs, quàm timendam illis eſſe, qui Chriſtianiſ eam oculiſ, inque ſupernaturali fidei lumine, quaſi viam ad incomprehenſibilia futuræ vitæ gaudia intuentur; libet tamen progredi ulterriùs, & ex abundanti oſtendere, eandem, eſſi merè ſecundùm nativam ſuam conditionem ſpectetur, nequaquam adeò tetram, & formidabilem revera eſſe, ut à plurimiſ per vanam imaginationem concipitur; quod faciam, percurrendo ſingillatim, quæ objecta initio ſunt illiùs naturaliter metuendæ argumenta. Et primò, ſi morbum attendamus, qui ejuſ quaſi via, & quædam præguſtatio eſt; non hic magiſ ad ipſam, quàm ad vitam attinet. Quare, ſi hoc nomine terribiliſ dicenda mors eſſet, nihilo minùs taliſ, imò plùs etiam appellari mereret diuturnitas vitæ, utpote quæ non uni, ſed pluribuſ morbiſ noſ ſubjicit. Præfertim quòd non fatiſ conſtat, extremum
in-

inter morbos acerbiorum quocunque alio præcedentium esse, inque avulsione animæ à corpore dolorem percipi, quantum in reliqua omni vita experiri nunquam contigerit: cum permultos videamus sat placidè, & sinè convulsionibus, aliisque extraordinarii cruciatûs indicibus à vita migrare. Adde huc sensum, animique in moribundis torporem, quo fit, ut illius temporis dolor, esto per se acutissimus foret, iis tamen non admodum sensibilis sit: & postremò, cum disjunctio animæ à corpore intrà momentum temporis fiat, dolor indè proveniens, qualiscunque demum sit, nequit esse, nisi momenti unius, parùmque idcirco terribilis dolor.

9. Neque ratio validior, cur horrore nobis esse, quasi summum malorum mors debeat, dura illa vis est, quam animæ infert, divellens nequidquam reluctantem à corpore fidissimo tanti temporis socio, & cui ipsa non arctiori naturæ, quàm amoris nexu penitissimè inhæret. Nam quibus, rogo, officiis corpus meretur, ut anima tam amanter ipsi inhæreat, tam violentè ab eo disjungatur? Num quia illam cogit, famulari sibi in terrenis suis usibus, omniumque suorum accidentium, & malorum in partem venire? Num quia occa-

sionem ei præbet tot cupiditatum brutarum,
 ignobilium, & rectæ rationi adversantium?
 Num quia impedimentum, & moram ei affert,
 nè, qua opus est, libertate actiones spiritua-
 lis naturæ suæ proprias exercent? Hi certè
 ordinarii sunt fructus, quos anima ex con-
 sortio corporis refert, quibusque per disjun-
 ctionem ab eodem orbat: fructus, uti ma-
 nifestum cuique est, amarulenti adeò saporis,
 ut ego haud satis assequar, quomodo ipsa vel
 secundùm naturalem instinctum dolere poti-
 ùs, quàm lætari de discessu ab eo possit: quid-
 ve habeat causæ illud existimandi socium po-
 tiùs, atque servum fidelem, quàm pro comu-
 ni sapientum sententia, hostem, proditorem,
 pondus, laqueum, carcerem, sepulchrum.
 Nónne in libro Sapientiæ legimus, (c. 4.)
*Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, &
 deprimat terrena inhabitatio sensum multa cogi-
 tantem?* Præclarum enim verò beneficii genus,
 & dignum amoris vicem referre. Nónne au-
 didimus ab Apostolo, (Ad Gal. c. 5.) *Caro con-
 cupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus
 carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur?* A-
 mica profectò societas, quæque haud possit,
 nisi per vim, atque coactè dissolvi. Si nihil
 præterea duri, & graviter ferendi esset, quàm
 im-

immortalem , cælestémque spiritum cum lutea , & putri carne assiduè colligatum teneri ; nónne unum id supplicium videretur intolerabile , atque illi simillimum , quo immanis Mezentius fertur olim fuisse usus , quando (*Ap. Virg. L. 8. Æn.*) *Mortua quin etiam iungebat corpora vivis , componens manibúsque manus , atque oribus ora , (tormenti genus) & sanie , tabóque fluentes complexu in misero longa sic morte necabat ?* Postremò , quinam fieri potest , ut juxta naturalis rationis instinctum sit amor animæ erga suum corpus ; cùm videamus , quantò quævis anima excellentiori indole est , suæque spiritualis naturæ magis memor , tantò candem supra corpus magis eminere , minorémque illius curam gerere ? Unde sapientum vita à Platone (*In Phæd.*) mortis meditatio , seu imitatio , & exercitium moriendi appellata est : quippe cùm mortuorum more ipsi vivant , mente , animóque sejuncti à corpore , nec de illo plùs solliciti , quàm si extra illud moriendo evolâssent.

10. At quid dicemus de luctuosis effectibus , qui à morte , ceu funesta suæ horriditatis vestigia , relinquuntur in corpore ? An quidquam cogitari tristius potest , quàm fore aliquando , ut nostra hæc corpora adeò nunc as-

pectu decora, in suis motibus vivida, ad agendum strenua, quæque tanto nos studio tuemur, curamus, fovemus; vix ultimo spiritu emisso remaneant tetra, lurida, immota, omnis venustatis, omnis vigoris, omnis sensûs, atque usûs expertia: neque ideo ulla eorum jam cura, vel apud conjunctissimos domesticorum supersit, sed in tenebricosam, angustam, & fœtidam specum, tanquam supervacuum terræ onus projiciantur: ubi clausa, & ab hominum memoria in perpetuam oblivionem amandata, miserabile vermibus, & putredini pabulum præbeant? Ità profectò tristis, atque horrida præter modum est hujusmodi imago; sed mulierculis, sed pueris, sed vulgo imprudenti; hominibus scilicet à magna qualibet, esto inani rerum specie vehementer commoveri solitis, quique corpus vitâ functum nesciunt à vivente discernere, & propterea, quidquid in hoc luctuosum, & miserabile esset, in illo etiam tale arbitrantur. Cæterùm cordati, & virilis animi homines, qualemcunque carnis suæ sensu jam carentis lanienam, & abjectionem nihili faciunt, nec, quid in hujusmodi statu illi eveniat, majori curæ habent, quàm quid callo fiat, ubi à corpore abscissum temere humi projecerint: gna-
ri

ri scilicet, casso vitâ, & sensu corpori perinde esse dissolvi, ac solidum permanere: perinde in squalenti cavea, ac in regali aula collocari: perinde fastidio, & abominationi esse, ac obsequiis circumstantium coli: perinde tabo, & sanie, ac balsamo, unguentisque diffundere. Idque luculenter in primis declaratum à Diogene est, (*Ap. Cicer. L. I. Tusc.*) quando morti proximus familiares monuit, nè de sepultura sui corporis solliciti essent, sed in loca avia inhumatum abjicerent, apposito tantum ad propulsandam vulturum importunitatem baculo. Cùmque illi reposuissent, frustra ipsi baculum fore, quo nempe uti vitâ carens haud posset. Bene est ergo, subiecit: missam licet facere non sepulchri tantummodo, sed & baculi curam: vitâ siquidem carens ut vultures arcere non potero, sic neque eorum morsus sentire.

II. Veniendo denique ad testificationes ex adverso productas, sive DE I sapientissimi judicis, qui, dum mortem pœnam esse nostri criminis voluit; eam pro malo se ducere ostendit, sive humani totius generis, in cujus æstimatione mali, & quidem gravissimi locum mors obtinet; circa primam respondeo, si pœna peccati mors est, nihilo esse pœnam mi-

nus necessitatem victus diurni sudorum pretio parandi, elementorum, & cæterarum animalium injurias, appetitionum rationi perduellium tumultus, sexcentasque alias miserrimas, quibus præsens hominum vita continenter urgetur. Quare ex eo, quod pœna mors sit, argui quidem potest, aliquod malum eam esse; at non etiam malum gravius nostra hæc mortali vita, tot aliis pœnis, atque ærumnis obnoxia. Præsertim verò, quod isti odioso quidem, sed communi pœnæ titulo, alium ipsa sibi peculiarem, nec parvi instar boni censendum adjungit, universalis nimirum remedium, quod quibusque aliis naturæ malis certissimum finem imponit. Quantum verò ad communem hominum sensum, nego iis omnibus horrore mortem fuisse: cum ex monumentis veterum constet sapientissimos Ethnicorum expetendam eam potius, quam fugiendam, & recusandam duxisse. Cujusmodi, ut plures alios præteream, fuit Socrates, qui amicorum nonnullos de imminente suo obitu ægros, ac lugentes intuitus importunam eorum mœstitiam redarguit, monens: (*Plat. in Phæd.*) *Cum gratulatione, & applausu esse ex hac vita migrandum: & cujusmodi omnis Brachmanum secta, qui, teste Strabone, (L. 15.) do-*

docebant, hominem, quamdiu in corpore agit, nondum propriè esse natum, sed instar rudis fœtûs paulatim ad exortum parari, qui tunc demum contingat, cùm ipse ex corporis conceptaculo, veluti ex quodam utero prodit in lucem rerum, quæ verè sunt, rerum nempe spiritualium, atque æternarum: nec denique hanc, quæ vulgò mors dicitur, esse aliud, quàm primum hominis ad veram vitam, nempe ad vitam imortalem ingressum. Quod si quispiam objiceret, memoratos sapientes id prædicâsse ad ostentationem potiùs miræ, & singularis doctrinæ, quàm ex animo, & quòd ità sentirent; possum eorum locò afferre barbaram illam Thraciæ gentem, (*Herod. L. 5.*) quæ suos in lucem prodeuntes flebilibus lamentis excipere, contrà verò eorundem funera hilari plausu, & festis lætitiæ significationibus celebrare consueverat; tum innumerabilem eorum turbam, qui, juxta vulgatissimum apud veteres Ethnicos, ex mali alicujus vel impatientia, vel metu mortem sibi ultro intulerunt; palàm facientes, quantum abessent ab ea summi mali locò ducenda, in cuius sinum, tanquam in fidissimum quoddam asylum à vitæ malis, atque ærumnis se recipere properabant.

12. Ex hac tota disputatione colligi de-
 mum potest, quàm indigna res foret, si DEI
 famulus vitam diutiùs ducere optaret, præ
 ignavo timore transitum superandi, parùm
 adeò terribilem, ut & ipsi Ethnici homines
 eum contemptui habere potuerint. Cùm, etsi
 nihil illo horribilius in terris foret, adeò ta-
 men expetenda, & omni pretio superior sit fe-
 licitas, ad quam per eum devenitur, ut, quis-
 quis hanc dignè æstimat, nedum omnia illius
 terricula deberet flocci pendere; sed nihil eti-
 am ardentius, quàm illius superandæ horam
 expetere, deque nulla re magis, quàm de ejus
 distantia dolere. Præsertim quòd, qualif-
 cunque tandem hic transitus sit, ineluctabili
 necessitate ab omnibus aliquando est peragen-
 dus: illiùsque dilatio nequaquam à prædicta
 necessitate nos eximit, sed illam nobis solum-
 modo omnimodam beatitudinem differt,
 quam non nisi per eum assequi licet: quæ,
 quàm exiguo in pretio, & amore apud ho-
 minem sit, qui, nè citius hujusmodi transi-
 tum peragat, tardiùs potiri illâ vellet,

